











Proverbia, De claris viris in theol. theol. Cap. 14. Nov. pro parte

1710 1960 26

CHRISTIANUS THOMASIVS,  
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS BORUSSIÆ  
CONSILIARIUS INTIMUS, UNIVERSITATIS FRI-  
DERICIANÆ DIRECTOR, AC PROFESSOR PRI-  
MARIUS, ET FACULTATIS JURIDICÆ  
ORDINARIUS,

CUPIDÆ LEGUM  
JUVENTUTI

LECTIONES PUBLICAS PARITER ET PRIVATAS  
AC PRIVATISSIMAS  
INDICIT.

---

HALÆ, apud viduam Salfeldiam.

*inert*  
*de Elogiis quibus Jurium Professore*  
*maestatus Fredericus I. Imp. in Acth.*  
*Habit. C. ne filius proo patre.*

CHRISTIANUS THOMASIVS  
SACRAE REGIAE MAJESTATIS BORUSSIAE  
CONSILIARIVS INTIMVS, VNIVERSITATIS FRIB.  
BEROLINAE DIRECTOR, PROFESSOR PBL.  
MAGVS, ET FACULTATIS IURIDICAE  
ORDINARIVS,

CURIAE LEGVM  
IUVENVTVTI

LECTIOES PVBBLICAE PABTIS ET PRIVATAE  
ACRIVATISSIMAE  
INDICIT.

HABE, apud viduam Saffelmann.





## B. C. D.



Um de themate sum sollicitus, de quo ad studiosam juventutem publice verba facerem, forte accidit, ut spectabilis Facultatis nostræ Decanus candidato juris, inter textus elaborandos, ac ad examen, quod more Academiarum hætenus recepto rigorosum vocatur, proponendos, etiam eligeret notissimam *Authenticam Habita C. ne filius pro patre.* Cujus sensus dum in conventu Facultatis nostræ examinatur, inter alia obvenit etiam quæstio, cur Imperator Fridericus Barbarossa initio illius legis, in verbis: *omnibus, qui causa studiorum peregrinantur scholaribus, & maxime divinarum atque sacrarum legum professoribus hoc nostra pietatis beneficium indulgemus, &c.* præ reliquis quatuor Facultatum, quæ hodie in Universitatibus florent, professoribus, non Venerandorum Theologorum, nec Gratiolorum Medicorum, nec Liberalium Artium & Philosophiæ Professorum,

sed solorum Professorum Juris mentionem fecerit, Etenim per Professores *divinarum & sacrarum* legum, quin Professores Juris & quidem Justiniani intelligantur, neminem, qui saltem ea de re dubitaret, deprehendi. Est enim vel ex Institutionibus notum, jurisprudentiam non solum humanarum, sed & *divinarum* rerum esse notitiam, & alibi etiam leges romanæ *sacratissima* vocantur, *l. leges sacratissima 9. C. de legibus*. Nec professores Juris Canonici aut Decretalium intelligi possunt, quod partim ex eo constat, quod constitutiones Pontificum non legum, sed *canonum* vel *capitulorum* nomine soleant insigniri; partim quod illo tempore, quo Fridericus Imperator legem hanc promulgabat, nondum Professores, ut mox ostendam, Decretalium existerent. Quid circa hanc quæstionem in conventu nostro dictum fuerit, huc non pertinet. Postea inquirens in Commentatoribus, qui Authenticam hanc peculiariter exponere aggressi sunt, aut alias de Academiis & earum origine scripserunt, deprehendi equidem, varia adducta fuisse de necessitate & utilitate studii juris adversus varios ejus adversarios, item quod privilegia professoribus juris hic indulta, non deneganda sint professoribus reliquarum Facultatum, id vero, de quo quæstio erat, ne quidem tactum inveni, cum tamen ratio prima ab Imperatore sub juncta, mul-  
tam occasionem suppeditare potuisset Doctoribus, ea de re prolixiorem meditationem instituendi. *Dignum namque*, ait Imperator, *existimamus, ut cum omnes bona facientes, nostram laudem & protectionem omnimodo mereantur, quorum scientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo, & nobis ejus ministris, vita subjectorum in-*  
for-

formatur, quadam speciali dilectione eos ab omni injuria defendamus. Etsi enim hæc ratio videatur suo modo etiam quadrare ad professores Theologiæ, nullum tamen est dubium, si intentionem Imperatoris consideres, eam de solis juris Justiniani Professoribus loqui. Quod ut melius intelligatur, ante omnia opus erit, de ortu & progressu quatuor Facultatum, quæ hodie in Universitatibus florent, quædam proferre, sed pro ratione instituti paucissima. Dolendum enim, quod hoc doctrinæ caput, nondum quod sciam, pro dignitate sit expositum, etsi multa eum in finem suppeditare possint, modo cum judicio feligantur & ordinentur *Stephani Paschasi* eruditissimum opus Gallicum, quod sub Inquisitionum seu originum Francicarum (Recherches de France) titulo publici juris fecit, item *Johannis Launoii* de varia Aristotelis in Academia Parisiensi fortuna, liber haud vulgaris pretii, *Guidonis Panziroli* de claris legum interpretibus libri quatuor, *Hermannii Conringii* dissertationes de antiquitatibus Academicis, *Fleurii* scriptum Gallicum de selectu studiorum &c. Ita vero habendum,

Docebantur usque ad tempora sæculi duodecimi septem artes liberales secundum doctrinam S. Augustini, tres logicæ & quatuor mathematicæ, unde trivii & quadrivii frequens mentio apud scriptores illorum temporum, unde etiam facultas artium olim appellata, quam hodie facultatem philosophicam vocamus, & Artista dicti, qui hodie philosophiæ Professores audiunt. Quomodo accesserint facultati artium professiones Physicæ & Ethicæ Aristotelicæ, & quibus motibus res agitata fuerit, docebit Launoius. Theologiæ Professores accesserunt,

unt, certe in Academia Parisiensi, seculo duodecimo, ut jam docuit Conringius, & primus eorum verosimiliter fuit Petrus Lombardus, vulgo Magister sententiarum vocatus. Et valde credibile est, professores Theologiæ Academicos ex Gallia transfuisse in Italiam, si quis consideret ea, quæ Lanoius congeffit. Etsi enim antea haud dubie in Italia doctrina Theologica secundum principia Augustini viguerit in ædibus Episcopalibus aut monasteriis, docent tamen antiquitates Historiæ, quod à temporibus demum introductæ Theologiæ Scholasticæ in Academiam Parisiensem, adeoque à temporibus demum Petri Lombardi, patriarchæ Scholasticorum, professores Theologiæ in scholis & universitatibus constituerint peculiare corpus & facultatem. Hoc vero præsupposito etiam dicendum erit, in scholis Italicis Facultatem Juridicam prius viguisse, quam Theologicam, cum Jrnerius, primus Juris Professor, jam sub Lothario II. Imperatore jura in Bononiensi Academia docuerit, Petrus Lombardus autem anno 1164. sit mortuus, & ejus sententiæ nonnullæ à Pontificibus damnatæ sint. Floruit autem in Italia Facultas Juridica, antequam Decretum & Decretales Epistolæ, tanquam nova Collectio Corporis Juris Canonici in Universitatibus à Professoribus explicaretur, adeoque professiones Juris Civilis in Italia fuere tempore priores professione Decretalium, quam in rem plura argumenta suppeditabit Panzirolus. Medicam Facultatem quod concernit, initium videtur debere ea in Italia cœnobio Cassinensi, in quod seculo undecimo Constantinus quidam ex Asia, sub Muhammedanorum imperio doctrina omnis generis

ris florente, libros quosdam medici argumenti ex Arabico latine versa, attulerat. Inde studium artis medicæ translarum in vicini oppidi Salerni scholam, ex qua postea Medica doctrina in reliquam Italiam diffusa occasionem dedit Friderico II. Imperatori, ut in regno Neapolitano nullum Medicum, nisi prius in schola Salernitana rite examinatum, admiserit, & Doctoribus Medicis lectiones ex operibus Galeni & Hippocratis peculiaribus legibus præscripserit, quæ extant in Constitutionibus ejus Siculis anno 1221. publicatis *lib. 3. tit. 34.* Sed videtur etiam obtulisse per aliquod tempus studio medico, quod Pontifices ne quidem lectiones physicas in Academiis tractari voluerint, & religiosi Studium Physicum & Medicum interdixerint *cap. 3. & fin. X. ne cler. sec. neg. se immisc.* quibus junge, quæ Launoius de prohibitione lectionis librorum physicorum Aristotelis tradit. Simul ex dictis facile patet ratio, à Fleurio jam observata, cur, cum ipsa medicamentorum præparatio & distributio, ut & ars chirurgica sint medicinæ partes haud pudendæ, collegia tamen pharmacopolarum & chirurgorum post introductam in Universitates facultatem medicam ab arte medica fuerint separata & pro ignobilioribus habita, quia videlicet Professores primi medici in Italia erant monachi, monachis vero & religiosi interdicta sunt commercia & effusiones sanguinis, adeoque medicamentorum commercium pharmacopolis, phlebotomiæ, scarificationes & similes actus sanguinolenti chirurgis relicti fuerunt, sic tamen ut & pharmacopolæ & chirurgi à medicis dependerent, & sub eorum inspectione ac  
dire-

directione essent. Plura suppeditabunt Constitutiones Siculae & Stephanus Paschasius,

Igitur vel ista saltem, quae hactenus de origine Facultatis Theologicae & Medicae in Italia diximus, ostendent, Imperatorem Fridericum Barbarorossam in authentica Habita de Facultate nec Theologica nec Medica, utpote illo tempore nondum existentibus, loqui potuisse, neque etiam de Facultate Juris Canonici, ut quae & ipsa tum nondum aderat. Simul vero explicare perspicue poteris ex antiquitatibus Academicis illorum temporum, cur Imperator de JCrts praedicaverit, quod *ipsorum scientia totus illuminetur mundus*. Nimirum respexit haud dubie ad Irnerium, primum Juris Civilis professorem, qui tantam nominis claritatem expositione legum adeptus est, ut *Lucerna Juris* appellaretur, quo encomio adeo gavissus est, ut idem quasi per traducem ad dilectissimum suorum discipulorum ipse transferret. Dum enim in extremis laboraret, & scholares ex illo quaererent, cujus doctrinam ex quatuor Professoribus Bononiensibus, ipsius discipulis, ipsis post mortem suam commendaret, sic respondisse fertur: *Bulgarus os aureum; Martinus copia legum; Hugo mens legum; Jacobus est quod ego*, (i. e. Juris Lucerna.)

Quod porro Imperator addit, quod *per scientiam JCrtoꝝ vita subjectoꝝ & ad obediendum Deo & Imperatori tanquam ejus ministro informetur*, non meliorem expositionem accipere poterit, quam ex adnotationibus Panzioli ad vitam Martini Bulgari, imprimis cum illa annotatio pertineat ad annum 1558. eundem videlicet, quo

quo Authentica, in cujus expositione versamur, fuit  
publicata. Nimirum, cum Imperatori eo anno in Ita-  
liam venienti Dertonenses Cremonensesque portas  
occlusissent, Roncaliam omnibus principibus ac cujus-  
que urbis consulibus consilium indixit. Eo cum plu-  
ribus aliis quatuor celebriores legum peritos, Martinum  
Gosiam, Bulgarum, Jacobum atque Hugolinum, qui  
tunc Bononiæ jus civile profitebantur, convenire  
jussit atque interrogavit, an rerum omnium dominium  
Cæsar haberet, quæ ejus indulgentia velut precario  
jure à possessoribus tenerentur. Cum id Martinus  
affirmasset, negasset Bulgarus, sed Martino annuissent  
ceteri, tum Fridericus, quodnam in Longobardorum  
civitates jus haberet, maturius eos definire præcepit.  
Illi tantum negotium sibi non sine magna invidia com-  
mitti animadvertentes, ex singulis Longobardiæ civita-  
tibus collegas ad judicandum dari postularunt. Ita-  
que viginti octo ex omnibus urbibus electi Jcti, cum  
quatuor eximiis istis professoribus, re diu inter se tra-  
ctata, tandem omnia Romani Imperii jura definive-  
runt, quæ ad Fridericum delati singuli civitatum legati  
se observaturos promiserunt. Imprimis autem à Bono-  
niensibus postulavit Imperator, ut suæ fidei se committe-  
rent, quod operâ quatuor illorum juris professorum  
facile obtinuit. Ob istam igitur rationem in d. Authentica  
Jctos & legum professores prædicat, *quod scientia  
sua vitam subjectorum ad obediendum Deo & Imperatori  
ejus ministro informant.* Postquam hæc scripseram, vi-  
deo, Ulricum Huberum in tractatu de iure civitatis,  
ubi de universitate studiorum peculiari capite agit, jam  
quædam monuisse de illa quæstione, cur solorum Jcto-  
rum

)(

rum

rum mentionem fecerit Imperator in illa lege, me-  
que nonnulla ibidem addidisse, sed quæ nunc ex illis,  
quæ hoc loco majori cum cura disserui, facile supple-  
ri, aut, si forte opus erit, emendari poterunt.

Magis adhuc illustrabit ea, quæ hæctenus ad ex-  
positionem Authenticæ attuli, si quis consideret faciem  
temporum illorum. Moverat pontifex jam ante secu-  
lum imperatoribus infaustam illam litem de electione  
episcoporum, & quamvis controversiam illam inter  
sacerdotium & imperium de summa rerum, aliquot  
conventionibus componere tentatum fuisset, subinde  
tamen imperatores conati fuerunt jura imperii in pri-  
stinum splendorem restituere; contra pontifices jura  
sacerdotii vi ac fraude etiam pia, secundum pietatis  
significatum illo tempore receptum, defenderunt. To-  
ta igitur Italia in duas factiones divisa erat, quarum  
una, quæ Cæsari faveret, Gibellinorum, altera, quæ  
pontifici adhæreret, Guelphorum nomine fulgebat. At-  
que communiter ita solebat fieri, ut quæcunque ex  
istis factionibus in urbibus Italiæ prævaleret, alteram  
minus potentem expelleret. Ita de eodem Martino  
Gosia memorat Panzirolus, familiam Gosiam olim fa-  
ctioni Guelphorum adhæsisse atque per factionem Gi-  
bellinorum ex urbe Bononiensi fuisse expulsam. Ipsum  
vero Martinum, cum Cæsariani nominis studio-  
sus fuisset, agnatos Gibellinæ factionis principes fecisse,  
qui tamen postea adversa Guelphorum parte Bononiæ  
prævalente, omnes iterum patria ejecti fuerint. Ete-  
nim cum antea professores artium in Italiæ scholis, tan-  
quam Clerici, factioni sacerdotum adhæsisent, cœpe-  
runt professores juris Justiniani, in favorem Cæsarium

tex-



textus hujus juris contra prætensiones iniquas Pontificum allegare, & quandoque etiam obtorto collo & per violentas interpretationes eò transferre. Ita notum est, quod lex Antonini Imperatoris quæ sub titulo pandectarum ad legem Rhodiam de jactu legitur: *Ego quidem mundi dominus, lex autem maris*, à Jctis antiquorum temporum ad stabilienda jura Imperatoris, quamvis parum pertinenter fuerit adducta. Ac, nisi me omnia fallunt, ipse Martinus, in quæstione ab Imperatore Friderico proposita: *an rerum omnium dominium Cesar haberet, quæ ejus indulgentia velut precario jure à possessoribus tenerentur*, (quam modo ex Panzirolo adduximus) primus fuit, qui hac lege ad defendendam affirmativam usus est, Sentientes ista pontifices, ut haberent, quod juri Justiniano opponerent, novum juris Canonici corpus condiderunt, atque in Universitatibus professores juris canonici opofuerunt professoribus juris civilis; imo quantum in ipsis fuit, professiones juris Justiniani exterminare maximo opere allaborarunt. Ita Honorius III, sub initium seculi decimi tertii sub prætextu pietatis & necessitatis studii Theologici religiosi pariter studium legum cum studio physices interdixit *d. c. 3, Et fin. ne Cler. sec. neg. se immisc.* quod pluribus explicat Stephanus Paschasius. Et in Complutenfi academia Franciscus Ximenius lege severissima cavet, ne juris civilis antecessoribus ibi esset locus; ut memorat Lansius *de Acad. p. 26*. Hinc, ut alii jam observarunt, Canonistæ seu juris canonici professores Guelphorum, contra Legistæ sive juris Justiniani professores Gibellinorum factioni erant addicti, & in quibusdam academiis postea institutis in eo manserunt rudera dissensionis antiquæ, dum duæ fuerunt Facultates doctri-

næ juris, una juris canonici seu pontificii, altera juris civilis seu cæsarei, uti de Lovaniensi testatur Nicolaus Vernulejus *lib. 2 acad. Lovaniens. c. 3.* In plurimis vero regnis & provinciis extra Italiam professiones juris canonici & civilis sub una eademque Facultate juridica fuere unitæ, sic tamen ut professioni decretalium pro superstitione illorum temporum primus locus fuerit concessus, & inde Doctores utriusque juris h. e. pontificii & cæsarei cœperunt creari, qui mos antiquus postea in academiis plerisque principum protestantium, etiam post reformationem, non obstante combustione decretalium à Luthero peracta, fuit retentus.

Sed & illud notandum, quod, cum primi professores juris Justiniani in Italia, (uti ex exemplo Friderici Imperatoris & quatuor illorum Jctorum Bononiensium supra adducto apparet,) cœperint quæstiones juris publici Romano-Germanici ex ipso jure Justiniano definire, postea non solum à Glossatoribus, sed etiam à Jctis in studio humaniorum literarum excellentibus eodem modo fuerit continuatum, ut vel ex Francisci Hottomanni quæstionibus illustribus hinc inde apparet. Quare non mirandum, quod etiam in academiis principum protestantium hæc consuetudo retenta ac peculiaris professio juris publici non fuerit instituta, Sed medicinâ in hoc capite doctrinæ maxime opus habuit Jurisprudentia, cum evidens sit, statum reipublicæ Romanæ, etiam qui tempore conditi juris Justiniani obtinuit, à statu reipublicæ Germanicæ toto cælo differre. Adfuit ipsi & primus medicam manum adhibuit medicus & polyhistor celeberrimus ac Academiæ Juliæ, dum viveret, ornamentum *Hermannus Conringius*, variis, usque eru-

dī-

ditissimis scriptis demonstrans, jus Justinianicum ad controversiarum juris publici decisionem esse ineptum. Et quamvis inter ipsum & JCTos quosdam, morum pristinorum tenaciores, controversia inde orta fuerit, tandem tamen bona causa obtinuit, atque adeo coeperunt principes protestantes reliquis juris professionibus peculiarem juris publici professionem addere, uti & ex justissima & hactenus evidenter ostensa ratione placuit POTENTISSIMO REGI NOSTRO, in Statutis Facultatis Juridicæ, ut primæ professioni juris canonici conjungeretur professio juris publici.

Sed quorsum ista, quæ hactenus differuimus? Videlicet, non putavi, me extra oleas vagaturum esse, si de causis, cur in Academia nostra professio Decretalium & juris publici conjuncta fuerit, quædam ex antiquitatibus Academicis differerem, atque simul authenticæ Constitutionis Friderici Imperatoris expositionem eum in finem præmitterem. Ornavit hanc spartam hactenus in Academia Fridericiana, Papinianus noster Vir Illustris & Excellentissimus *Samuel Strykius*, JCTus, ut multa paucis complectar, encomio meo Major, *Potentissimi Regis Borussiae Consiliarius intimus, Academiae Fridericianæ Director & Professor Primarius, ac Facultatis Juridicæ Ordinarius*. Sed ornavit eheu! Utinam diutius eam ornasset, decus Universitatis non solum nostræ, sed & quondam Almæ Viadrinæ & Academiæ Wittebergensis eximium plane ac incomparabile. Nunc vero, postquam placuit Divino Numini, Caput Facultatis nostræ à nostro latere in sedes beatorum transferre, eo major opera danda est nobis professoribus reliquis, ne ex morte ejus damnum patiatur Academia Fridericiana & Facultas Juridica, ut-

)(3

que

que vestigiis ejusdem laudatissimis insistamus, & cum nobis non liceat esse tam beatis, ut ejus merita & famam assequamur, ut saltem diligentiam ejus & industriam omni studio & opera imitemur.

Atque hæc & mihi præ cæteris dicta arbitror, postquam nimirum *Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus FRIDERICUS, Rex Borussia, Marchio Brandenburgicus, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarius & Elector, Supremus Princeps Anussonensis, Neocastrensis & Vallangini, Dux Magdeburgi, Clivia, Juliaci, Montium, Ste-tini, Pomerania, Cassubiorum, Vinidorum, Meclenburgi, & in Silesia Crosua, Burggravius Norimbergensis, Princeps Halberstadii, Minda, Caminii, Vandalia, Sverini, Raceburgi & Meursa, Comitibus Hobenzollera, Ruppini, Marce, Ravensberge, Hobeysseini, Teclenburgi, Linge, Sverini, Bura & Leerdami, Marchionis Vbera & Vlisinga, Dynasta in Ravensstein terrisque Rostochii & Stargarda, in Lauenburg, Butow, Arlay & Breda, Rex & Dominus noster longe Clementissimus* ex singulari Regia Gratia & Clementia jussit, ut in Beati Strykii locum ac dignitates, & emolumenta inde dependentia succederem. Quare paucissimis nunc indicandum erit, qua methodo in lectionibus quæ publicis quæ privatis in posterum sim usus, & ita, quod in me est, diligentiam meam testaturus.

Et quidem, quod initio *Lectiones publicas* attinet, conabor, ut Deo vires concedente, singulis annis *Lectiones & juris publici & canonici* habeantur. Et jam quidem post instantes *Nundinas Lipsenses autumnales, borà consuetà matutina nona* initium faciam *Lectionum juris publici*, intra semestre spacium ad finem perducendum, tum transitum facturus sum ad *Lectiones De-*  
cre-

cretalium alio semestri spatio absolvendas, de quibus suo tempore publico programmata plura dicendi occasio se offeret.

Uti autem singulæ partes jurisprudentiæ suis laborant nævis, de quibus alibi prolixius actum, ita & in juris publici prudentia opera danda erit ingenuo professori, ne in enarrandis ac exponendis eminentiis Cæsareis & Electoralibus & juribus Superioritatis territorialibus, Principibus & reliquis Imperii Statibus competentibus, vel adulationi vel ulli alii affectui locum det, sed ut ea, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ Electorum, Electoribus, tanquam Sacri Imperii columnis quæ Principum & reliquorum Imperii Statuum sunt, hisce tribuat, & sic Potentissimi Regis nostri Symbolum: SUUM CUIQUE, in singulis lectionibus præ oculis habeat.

Duplex autem medium ad finem hunc obtinendum se obtulit. Vel ut traderentur cautelæ circa studium juris publici rite instituendum; vel ut exponeretur Systema aliquod juris publici prudentiæ. Quod primum concernit, ita comparatum est cum omnibus disciplinis, ut quilibet studiosus ante omnia dare operam debeat, quo illa singularia Dei dona, pro quibus quotidie Deo gratias agere solet, certe debet, sensum videlicet communem & rationem, adhibeat in legendis & intelligendis quibusvis disciplinis & scriptoribus eas proponentibus, atque ut veritatem ibidem dictorum ipse examinet, uno verbo, ut meditetur & iudicium proprium exerceat, non ut more psittacorum, saltem verba docentium memoria mandet, & examen de veritate doctrinarum negligat, ac ita præiudicio autoritatis humanæ se immergi patiatur. Ad hunc vero scopum nihil

hil magis videbatur requiri, quam ut cautelæ saltem proponantur juvenibus de vitandis in studio juris publici communibus erroribus, quos inter etiam sunt adulationes istæ vel Cæsarum vel Electorum, vel reliquorum Imperii Staruum, & signa evidentia odii erga dissentientes. Unde proposueram mihi initio, ut in lectionibus publicis ad exemplum *Cautelarum circa præcognita Jurisprudentiæ* proponerem *Cautelas circa studium Juris publici Germanici*, imprimis cum multa & suaderent & urgerent continuationem illarum cautelarum, ad normam doctrinarum fundamentalium alibi delineatarum. Sed præterquam, quod gravioribus quibusdam negotiis, iisque haud differendis impedire, ne propositum hoc jam quidem effectui dare possem; cogitavi etiam, ingenui professoris officium quoque esse, ut lectiones suas aptet ad imbecillitatem & capacitatem studentium. Debebant Universitates præparare studiosos ad rectum usum rationis, is enim si non unicus, certe primus omnium studiorum scopus esse debet. Sed debebant. Nam cum scholæ primitus a pontificibus fuerint institutæ, non ut sapientes redderentur studiosi, sed ut evaderent mancipia sacerdotii, cum imperio de summa rei disceptandis, nihil minus fuit in legibus & statutis primævis academicis præscriptum, & ordinatum, quam ut ratione sua solide uterentur discentes, quin potius usque ad tempora reformationis cæca ac stupidissima ac plane asinina credulitas fuit inculcata & cultura folius memoriæ. Quod si maxime judicii cultura fuit commendata, ea tamen commendatio non nisi defensionem præjudicii autoritatis, & ita adversus intentionem Creatoris,

toris, perditionem & abufum rectæ rationis palpabiliter  
refpexit. Atque ita firmas radices egit hoc malum in  
Academiis, ut & in Univerſitatibus ſtudiorum Prote-  
ſtantibus id cacoëthes nondum fit extirpatum penitus,  
ſed adhuc in plerisque ( quod poſt duo ſecula à tempo-  
ribus reformationis elapſa mirum foret, niſi genius in-  
genii & cordis humani intimius notus eſſet ) tantum non  
in omnibus diſciplinis regnet, & quotidie corroboretur.  
Pauciſſimæ enim ſunt, quæ libertatem modeſte ratio-  
cinandi, docentibus indulgent. Eſſi vero inter pauciſſimas  
illas per ſingularem DEI Gratiam & *Potentiffimi REGIS*  
*noſtri* ſapientiffimam indulgentiam, noſtra Academia præ-  
cipue numeranda ſit, atque vel ob hanc, ſi non unicam,  
ſaltem, ſi diligentiam profeſſorum eidem adjungas, po-  
tiſſimam cauſam, ( non obſtantibus clamoribus extra-  
neorum, felicitatem hanc eidem invidentium, ) floreat,  
& gratiam ac benedictionem divinam quotidie magis  
magisque experiatur; opera tamen danda erit profeſ-  
ſori prudenti, ut ſtudioſis, meditationis & judiciï pro-  
prii adhibendi cupidis, hætenus vèro à tenera juven-  
tute auctoritati præceptorum adſuetis id ſaltem indul-  
geat, ut auctor ſyſtematicus iis explicetur, ut videlicet  
docens in exponendo ſyſtemate exemplo ſuo ſuarum-  
que meditationum ipsis præeat, eosque excitet, ut hoc  
exemplum meditationibus propriis ſequantur. Facit,  
quod & artes corporis, quamvis tot nævis & præjudi-  
ciis non laborent, præter cautelas tamen de vitis in  
exercitio artis evitandis, requirant artificis exemplum  
& lectiones quotidianas per exempla,

XXX

Cum

Cum autem inter tot systemata juris publici, quæ  
prostant, aliquod præ reliquis fuerit eligendum, operam  
dedi, ut tale deprehenderem, quod à plerisque erroribus  
doctrinarum antiquarum & antiquatarum sit purgatum;  
quod à principiis doctrinarum mearum non longe rece-  
dat, (ne diffensiones frequentiores confundant meditatio-  
nes auditorum;) quod nullam doctrinam juris publici  
omittat, & quod aliena etiam non immisceat; quod aptum  
sit pariter ad gustum eorum, qui consueta paululum sub-  
tiliore ratiocinandi modo delectantur, & eorum, qui  
perspicuitatem ante omnia in systematibus quærunt;  
quod adeo nec nimia brevitate laboret, indices magis  
doctrinarum quam doctrinas ipsas exhibens, nec ni-  
mia prolixitate nauseam pariat lectori, sed satiando qui-  
dem lectoris desiderium cognoscendi, simul tamen ex-  
citet ejus meditationem, & non pauca ulterius medi-  
tanda relinquat. Si enim tale systema invenire possem,  
speravi & scopo meo me omnium optime satisfactu-  
rum & auditores etiam ipsos ad præmeditationem,  
auscultationem & repetitionem majori cum delectatio-  
ne me esse allecturum. Quamvis vero plurimi sint, qui  
singuli singula vel etiam plura requisita ex hætenus re-  
censitis exprimant, nec cujusquam Autoris laudi aut  
scripti pretio quicquam detractum velim, sed potius alios  
Autores ex illis venerer, alios commendem, non tamen  
facile reperies autorem, in quo cuncta illa conjunctim  
deprehendas, quæ scopo nostro inserviunt, imprimis  
quia illi, qui brevioris scribendi genere usi fuerunt, &  
rationibus suis non destituuntur, & alium forte finem  
operi suo præscripserunt, & magis ad usum docentium,  
quam



quam incipientium respexerunt. Interim non adeo diuturna inquisitione opus fuit. Mox enim inveni in *Consultissimi Titii* Consilarii Regii & Electoralis Saxonicæ, ac Professoris in vicinâ Academiâ Lipsiensi celeberrimi, Fautoris mei honoratissimi *Specimine Juris publici Romano-Germanici* ejusque ultima editione anno 1705. publicata, ea omnia, quæ modo recensui, nec dubito fore plerosque, qui eandem mecum opinionem de opere Viri Clarissimi habituri sint, de qua vero Auditores mei quotidie in ipsis lectionibus magis magisque persuadentur. Habebo hic sæpius, quæ magis in compendio proponam, fufius ab Autore dicta, quam quæ prolixiore discursu illustrem, quod tamen & ipsum haud negligeretur, ubi fuerit opus. Pauca pro more dictabo in calaminum, ne sistatur aut interrumpatur meditatio auditorum, nisi ubi expositio necessaria id postulet, aut ubi forte alia sententia videatur verosimilior. Ita enim comparatum est cum jurisprudentia nostra, ut dissensus in opinando inter Collegia & Collegas non sint infrequentes, liberi tamen & modesti, & cum pace eorum à quibus dissentimus prolati, nec agre ab ipsis lati. Est enim jurisprudentia præ reliquis facultatibus etiam ad id destinata, ut suorum studiosorum mores formet, & ad societatem civilem aptos reddat. Non autem apti sunt, sed solitudini aut monasteriis relinquendi, qui non possunt ferre dissentientes. Interim, uti dixi, in hoc quidem Autore, quem publice exponendum proposui, rariores se offerent dissentiendi occasiones.

Lectiones *privatas & privatissimas* quod concernit, de iis jam dictum fuit satis & abunde in præfatione ad  
Cau-

Cautelas circa præcognita jurisprudentiæ. Id tamen de lectionibus *privatis* monendum. Absolvi per D.E.I. gratiam in cursu juris, ante quatuor menses incepto, *Institutiones Justinianæ*, perrecturus pariter *post instantes nundinas Lipsienses ad collegium Digestorum*, ubi ea, quæ ad usum forensem Germanorum potissimum spectant, ut hactenus in institutionibus factum, dictabuntur in calammum; Putavi equidem me totum hunc cursum (in institutiones, pandectas, jus feudale, & processum civilem ac criminalem,) intra annum spatium esse absolucurum, sed quoniam tamen dictanda multas horas absument, nec in eo statu sunt, ut statim publicis typis mandari queant, facile prævideo, præsentem cursum aliquot mensium spatium ultra annum sibi postularurum esse.

In lectionibus *privatissimis* cum selectis quibusdam & paucis auditoribus, examinando videlicet & ratiocinando de principiis primis & fundamentis doctrinæ meæ, pergo, & pergam ulterius cum aliis, quibus talis exercitatio privatissima arridebit. Ubi & id commodum sentiunt auditores selecti, ut peculiaribus horis ipsis concedatur inspectio, eaque non plane superficialia, sed sufficiens eorum intentioni, Autorum rariorum, studium sapientiæ vel promoventium, vel eidem resistentium, quorum copia non ubivis deprehenditur.

Faxit Deus optimus maximus, ut omnia vergant in ipsius gloriam, incrementum Academiæ nostræ, & commodum studiosæ juventutis. P.P. d. 14.

Septembr. 1710.








ULB Halle  
005 396 611

3







1  
1960  
26

CHRISTIANUS THOMASIVS,  
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS BORUSSIÆ  
CONSILIARIUS INTIMUS, UNIVERSITATIS FRI-  
DERICIANÆ DIRECTOR, AC PROFESSOR PRI-  
MARIUS, ET FACULTATIS JURIDICÆ  
ORDINARIUS,

# CUPIDÆ LEGUM JUVENTUTI

LECTIONES PUBLICAS PARITER ET PRIVATAS  
AC PRIVATISSIMAS  
INDICIT.

HALÆ, apud viduam Salfeldiam.

*inert*  
*de Elogiis quibus Jurium Professore*  
*maestatus Fredericus I. Imp. in Acth.*  
*Habit. C. ne filius pro patre.*

*h*

*Christianus de Ollaris in Acth. Hal. Act. in Acth. pro patre*

